



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Rebus Gestis Beati Aloysii Gonzagæ E Societate Iesv

Marchetti, Annibale

Florentiæ, 1687

Capvt I. Divino instinctu mortem instare præsentit, ac Romam revocatur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-43962

DE VITA, ET REBUS GESTIS
 BEATI
 ALOYSII GONZAGÆ
 LIBER TERTIVS.

CAPVT I.

*Divino instinctu mortem instare præ-
 sentit, ac Romam revocatur.*



Eruenerat iam Aloysius ad ve-
 nerabilem illam senectutem,
 non longâ annorum serie, sed
 rerum gestarum tum numero,
 tum gravitate computatam:
 quæ nimirum præferuidæ cari-

*Quæ vera
 hominum
 maturitas,
 quæq; se-
 nectus ve-
 neranda.*

tatis vi maturitatem adepta, non ævo, ac se-
 nio corrupta mortis acerbitatem migranti de-
 trahit, superstitiis, orbisque relinquit. Hanc
 unam decoram Superis canitiem esse, dignam-
 que censerî, cui cælestis imponatur corona, ex
 Divinæ Sapientiæ oraculis novimus. Quare
 ubi S. Adolescens ad eam properatis venerat
 itineribus, Divinæ Numinis Providentiæ pla-
 cuit,

Sap. 49.

cuit, virtutem ætate celeriore festinato didemate decorare: visumque opportunum, præmaturum fructum præmaturè legere: ne forte quemadmodum mitia iam poma diuturnitate putrescunt; ita eius mens Cælo matura, vel sæculi corruptelâ putresceret, vel senescentis, ut sæpè fit, sui corporis contagione consensceret. Quia verò in vitæ exitu tanquam in extremâ fabulâ Aloysij virtus pulcherrimum, sui spectaculum præbuit; operæ pretium duximus tertium hunc, eundemque postremum huius Operis Librum eius pretiosæ morti, quæque pretium fecerunt, enarrandis dicare: quò illius vestigia sequuti locum hunc omnis nostræ peregrinationis difficilimum, ac periculi plenum, mortis scilicet angustias, nullo metu solliciti præteruehamur. Exiguum quidem post factam e Cælo instantis obitus significationem, tempus illi superfuit; quo tamen benè usus, adeo sublime fastigium Evangelicæ turri totâ vitâ constructæ imposuit, ut via in Cælum ex arduâ in pronam versa, ad migrandum inuirtaret: qui fructus perpetuò in vitâ laborantes manet, ut Cælo altiores, Deoque proximi facilem in morte, ac propè declivem ad superum sedes sibi aditum sternant. Antequam verò ad ea, quæ supremo hoc tempore gessit, enarranda

Pulcherrima eius vitæ pars extrema.

da aggredior, quousque hæcenus peruenerit, libet duorum locupletissimorum tessium tabulis, atque authoritate cognoscere.

Erant per id tempus, quo Aloysius Mediolani versabatur, duo ex nostra Societate viri clarissimi, Bernardinus Medicus Florentinus ex nobilissimâ Mediceorum familiâ publicus sacrarum litterarum interpres, & Achilles Galliardus, cuius ea una laus instar omnium esto, quod Sanctissimus Antistes Carolus Borromæus in intimis habuerit. Vterque Aloysio familiaritate coniunctus præclarum illi virtutis testimonium dedere. Medicus scriptis ad Cœparium litteris multa de illo graviter prædicat, summisque laudibus effert: ac primò quidem sensus aliquot eius exponit Divinæ Sapientiæ plenos: quos tamen omitto, quia rebus ab eo gestis luculentius declaratos puto. Tum incredibile eum cupiditate flagrasse memorat, aduersa omnia Dei causâ sustinendi, cui nunquã esset, unde satisfaceret, eò quòd nihil aduersari videretur aduersis omnibus inhianti, Eam porrò de reliquis opinionem habuisse, ut nemo illi, præ se, malus esset: siquid verò perperam factum occurreret, haud quidem probare, verum mitiorem in partem, quoad liceret, interpretari solitum. Aliena errata auctori suo

siroho ofi
no 310up
murtatibz
audisoz
sindogit

Bernardini Medicei præclarum de Al: testi monium,

Infatiabilis aduersa tollerandi cupiditas.

Nemo illi, præ se, malus.

T ma-

Ne primis
quidē cu-
piditatum
motibus
tāgebatur

magnā dexteritate in argumentum benevolentiæ significare, sua semper doceri, ac docenti habere gratiam paratum. Quandiu, inquit Mediceus, usus mihi cum illo fuit, nullius cupiditatis vel primos impetus, motusque deprehendere memini: quod iudicium summæ virtutis, ac domitarum cupiditatum sit; subitis sibi casibus adesse, nec eas, aliud agente ratione, ac veluti sopito Magistro, erumpere, ac debaccari. Postremò illud generatim adiungit, nihil in eius factis intueri sibi unquam licuisse, quod vel leviter ab instituti legibus, officioque deflitteret: nihilque magis præstitisse, quam ut in omni genere laudis singularis esset, in nullo videretur: extare spectarique, reformidans, perinde ut quæ spectantium oculorum, eadem & prædonum acies esset.

Achillis
Galliardi
testimo-
nium.

Achilles verò Galliardus arcanae, abditissimæque Deum inter atque homines consuetudinis doctor eximius, uti eius hæc de re edita scripta testantur, cum inaudisset Aloysium intimam cum Deo familiaritate potitum re ipsam præstare, quæ mysticæ doctrinæ præceptis continerentur; id egit, ut in eius amicitiam sese penitus insinuaret, quò e proximo intueri fas esset, quidquid famam, atque auditione accepisset. Ergo sermone de Divinis rebus cum eo
sæpè

sæpè instituto sensim ad tractandos suavissimos
 Divini Amoris fructus delabebatur: unde pau-
 corum dierum spatio satis liquidò didicit (que-
 madmodum ternis eâ de re datis litteris, ac iu-
 reirurando firmatis postea vulgavit) S. Adole-
 scentem supra plurima, eademque præstantis-
 sima munera a Superis accepta, eo in primis
 auctum, ut singulis diebus Divinam illam Ma-
 gni Areopagitæ caliginem ingressus arctissimo
 Numinis complexu, delicijsque inde emanan-
 tibus frueretur. Miratus præterea vehementer
 est, Adolescentem, cui necdum tertius supra-
 vicesimum exierat annus, eò progressum, quò
 vix paucissimi affectâ iam ætate peruenere.
 Rogavit insuper aliquando, ecqua suspicio illi
 esset, eiusmodi agendi morem à nostræ Socie-
 tatis studijs, atque instituto abhorrere? cum
 enim omnis nostra vita actiuosa sit, legesque
 ad quas componimur, alienæ apud Superos
 felicitati comparandæ impensè studeant; my-
 stica verò vita tota umbram, ac solitudinem
 spectet; quì unquam fieri possit, ut altera ita
 alteri concilietur, ut hæc otium, seque ipsam
 unâ cum otio perdere velit, quò sese alienæ sa-
 luti procurandæ devoteat. Ad hæc Aloysius;
 si Divinæ, inquit, consuetudinis nexu ab alie-
 næ salutis studio me impediri intelligerem, il-

Divinâ ca-
 liginē sin-
 gulis die-
 bus ingre-
 ditur.

Actuosam
 vitâ quàm
 benè cum
 contēplatione iun-
 xerit.

lum continuò abrumperem, ne amore præposito, peruersoque, ut Numini contemplando, ac veluti demulcendo vacarem, & eius imperia contemnerem, & nomen augere, ceteris ad illius cultum adducendis, negligere. Quibus ex verbis maior senem admiratio incutit, ut qui ex ijs apertè cognoverit, Numinis in Aloysij pectore caritatem altioribus defixam, radicibus, quàm ut ullâ negotiorum, externaque procurationis vi labefactari posset: ac Divinæ contemplationis otio alienæ salutis negotia nequaquam impediri, sed transigi. Exinde vero hoc tam singulare B. Adolescentis munus ceteris prædicare palam, haud unquam destitit.

Interiori
lumine de
instante
morte e-
docetur.

Huc igitur Aloysius pietatis studio hæcenus processerat, cum aliquando matutinæ precationis tempore, subito quodam, atque interiori lumine afflatus, clariè perspexit, se haud ita multò post e vivis abiturum: moneri proinde ut pararet sese, eoque anno vitæ postremo animum a rebus humanis quàm maximè avulsum maiori, quàm antea studio, in officia pietatis, regnumque cæleste ijs comparandum intenderet: quo autem lumine mentem sibi illustratam, eodem & incensam sensit, tantamque illi amoris, & curæ rerum supernarum, accel-

accessionem factam, ut mortalia omnia, delictis propemodum vestigijs, ex animo incunctanter exciderint. Hoc Divinum responsum, quoad Mediolani fuit, tacitum tenuit: Romamque regressus, præter Vincentium Brunum, aliosque nonnullos suis dudum consilijs intimos, aperuit nemini. Proinde idem in publico habitus oris, qui antea, exterior in litteris diligentia eadem, eademque reliqua universa; unus duntaxat secretus in sinu amor non idem, quippe omnis a rebus hisce fluxis abstractus, sola æterna, ac mansura spectabat.

Hoc interim spatio Claudius Aquaviva universæ Societati Præpositus, comperto, Aloysium cuncta, quorum illi procuratio commissa erat, prosperè gessisse, e Galliâ citeriore in Urbem revocare animum adiecit: ne scilicet tantæ probitatis exemplo lectissima toto Orbe Collegij Romani Iuventus eius olim apprimè studiosa fraudaretur: quo nomine eiusdem Collegij Rector subiectæ sibi Iuventuti consultum volens a Claudio Aloysij reditum cupidissimè postularat. Cæpario negotium datum, ut Aloysius hæc de re certior fieret: quo nuncio S. Adolescens tam lætus fuit, quòd dudù idipsū in optatis habuerat, ut veritus futuram aliquā expletæ cupiditatis contumaciam, Bernardinū

Coll: R: Re
 Stor Al: re-
 ditū petit.

Redeundi
cupiditatē
suspectam
habet.

Quorsū ea
cupiditas
tendat.

Mediceum adierit, edoctumque, esse qui Romanam suam in Urbem reditum molitur, impensè rogarit, ut præmissis Sacro Numen supplex oraret, ne se hoc voto (si ita ad eius gloriam præstaret) potiri permetteret. Verū acceptis haud ita multò post ab ipso Claudio litteris, quibus regredi iuberetur, certus id Divinae Clementiæ suis semper votis obviæ, fixum federe, summo gaudio est affectus: statimque plures ad veteres amicos epistolas scripsit, quibus & suæ redeundi lætitiæ, & quorsum ea tenderet, quidve in reditu potissimum sequeretur, edocuit: nimirum eosdem sibi virtutis educatores fore, a quibus prima semina se accepisse noverat, eaque nusquam felicius proventura, quam ubi eorum, qui sparserant amore incallescere, & sudore irrigarentur. Scilicet id unum in hoc negotio Aloysio cordi erat, non pravum aliquod Romanæ Urbis, ac domicilij studium, quale leviculis nonnullis inesse cernimus, quos nimirum alienæ felicitatis, ibi maximè luxuriantis, odor alit, recreatq: propriâ destitutos. Aloysius enim Urbem, non ut in ea diù, ac iucundè viveret, sed ut brevi, ac piè moreretur, satis conscius appetebat.

Anno igitur a Virginis Partu MDXC, Maio ineunte unà cum Gregorio Mastrillo, aliisque
e So-

e Societate nonnullis viâ per Hetruriam proxima iter Romam versus inivit. Viæ labores, ac tædia, suo instituto Divinis commentationibus levabat: unde tamen interdum avocabatur a socijs, ut sibi etiam nonnihil ex ijs, quæ commentus esset, impertiret: cælestique Sapientiæ, quæ invidiæ angustijs opprimitur, communi cando, spatia laxaret. Vnum illud in eo itinere permolestum fuit, quòd nimio plus sibi a socijs ætate, atque autoritate gravioribus tribui, primasque semper deferri perspiceret: nec erat unde hanc a se acerbitatem, quâ nihil illi intolerantius, redimeret; nam quòd impensius honores deprecaretur, hoc alij magis dignum censere, ac studiosius deferre.

Vnicaitine
ris mole-
stia socio-
rũ officia.

Senas delato, Divæ Catharinæ Senensis Sacellum, ubi eius caput religiosè asseruatur, inuisere placuit: ibique cælesti Dape Petri Alagonæ manibus, cui operanti ministrabat, summâ cum animi sui voluptate refectus est. Inde rogatus, ut nostris Adolescentibus in sodalitiū Virginis coactis verba faceret, eosque ad virtutem, vitæque beatæ studium hortaretur; postquam se facturum recepit, horamque condixit, ad preces in odæum contendit, ibique veluti acceptis e Cælo, quæ ferret, mandatis, suum sese in Conclave abdidit, notavitque, ne

Verba facit ad Virginis
 fodales cof
 que ad re-
 ligioſā vi-
 ſā incendit

exciderent , ſumma duntaxat eorum capita .
 innox alio nullo authore , libroque conſulto , quā
 horā conuenerat , in concionem venit , habuit
 que de honore , voluptate , diuitijs , ceteriſque
 labentium rerum mendacijs contemnendis ora-
 tionem adeo feruidam , atque incitatam , ut
 exemplo doctrinæ vim demonſtrante , illorum
 non paucis humana omnia deſerendi , ut reli-
 gioſæ militiæ nomen darent , cupiditatem in-
 cenderit . Huius poſtea orationis exempla cō-
 plura deſcripta ſunt , quò in eos , qui peterent
 (fuerunt autem permulti) diſtribuerentur . Is
 verò cui ipſum S. Adoleſcentis authographum
 obuenit , ſummo ſemper in pretio habuit , tan-
 quam inſigne eius pietatis monimentum . Fuit
 autem eius in dicendo character , uti ex alijs
 ſcriptis illius liquet , perpetuò planus , ac ſim-
 plex , qui Auditorem ad ſententiā perduce-
 ret , non detineret : ſiquidem haud erat igna-
 rus veritatis Euangelicæ quolibet ornati ele-
 gantioris tegi verborum apparatus , non ornati
 venuſtatem . Denique Senis relictis Romam
 peruenit , ubi uniuerſa Collegij Romani lu-
 ventus eum ſummo cum gaudio complexa eſt ,
 reditumque diu exoptatum æquè ſibi atque illi
 peramanter gratulata .

Al: in di-
 cendo cha-
 racter .